



thus, STYLOBATÆ, Co-
ronicis, Cymatium, Corona, Sima,
Quadratum proportionis sesquial-
teræ. Basis, Regula, Astragalus,
Sima inuersa, Torulus, Plinthus.

Q V A R T V M Nostræ par-
titionis membrū quod Corinthium
vocauius, explicandum est. Eius
trabeatio tam est Ionicæ similis,
vt qui viderit, excultam potius,
quàm diuersam sit iudicaturus.
Eædem partes, idem commensus,
hoc habet discrimen, quòd in ista,
inter Coronam & denticulum, col-
locatur tam altus quàm est prima
Epistylī fascia Echinus, scalptus
ouiculis aliquando integris, aliquan-
do superne decacuminatis, cum in-
tersertis vtrinque hamatis spiculis.
Præterea sub Epistylī fascia sum-
ma & media, adduntur Astragali
singuli, crassi suæ fasciæ parte octa-
ua, sed qui sub summa est, refert
Baccas filo cū Verticillis insutas,
qui autem est sub media, est velu-
ti resticula.

C A P I T V L V M Corinthium
est veluti vas ab angustia in latitu-
dinem paulatim sese laxans, effigie
Calathi, cui Abacus sit pro opercu-
lo.